

V I R  
NOBILISSIME DOCTISSIMEQVE,  
FAVOR AESTVMATISSIME,

Sapientiae, tum rationis, tum Sacrae Scripturae  
ductu, acquirendae, cui totum TE consecrafti, eo  
semper animo dedisti operam, vt, quidquid in  
hoc studiorum genere occurreret, sollicita cum ve-  
rae rationis inuestigatione, et quoad per rei perpen-  
dendae naturam ac intellectus limites fieri liceret,  
vltiori consideratione peregeris, magnum il-  
lud, quod inde redundaturum praeuideras, vti-  
lissimae pariter ac iucundissimae certitudinis emo-  
lumentum ex voto nunc consecutus. De qua lau-  
dabili ingenii TVI felicissimi indole atque conten-  
tione dies in primis hodiernus, quo, Wittebergen-  
sium sapientum auctoritate et applausu, coetui illo-  
rum, qui summis in sapientum ordine honoribus  
condecorati sunt, adscriptus es, luculenter testatur.  
Habes ideo laetabundos Patronos aequae ac Paren-  
tes Honoratissimos, Amicos vero, et TIBI id decus,  
et sibi ipsis familiaritatem TVAM candide gratu-  
lantes. Quorum in numero quum nulli cedere ve-  
limus, hac vt occasione officio satisfieret, promti  
paratique exstitimus, id abs TE contendentes, vt pro  
TVO in nos amore hoc ingenuae amicitiae pignus  
beneuole accipere, et nos porro amare velis, qui  
TVAM ac TVORVM salutem a DEO perennem  
maxime cupiunt. Vale, Dabamus Lipsiae d. XVI.  
Kal. Nou. A. R. S. MDCCCXXXVII.

